DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XXIV. FEBRVARII,

M. GILBERTO PVYLON, Doctore Medico, Moderatore.

929

An ieiunis aquæ potus?

ASSIDVA caloris natiui in humidum primigenium actione vita continetur, quâ pabulum suum calor, si blandus, sensim depascitur, ocyùs verò acrior factus labore, vigiliis, alimenti penuriâ aut abstinentiâ; tuncque vires suas etiam in sui perniciem exerit, primúmque spiritus naturâ suâ tenues & æthereos, non ideo tamen ἀσθενεῖς, dissipat; humorem dein exsorbet omnem, partibus denique siccitatem accersit, vel etiam καῦμα inurit altiùs, quo humores alimentarij nutritioni minùs apti fiunt, & cum excrementitiis impensè adeò incalescunt, vt orgasmo suo corporis nostri œconomiam euertant, nisi tempestiuo refrigerantium & humectantium vsu calor mitescat, spiritus ad interiora reuocentur, humores temperentur, &, si fortè efferi, cicurentur, eorum denique motus & impetus inhibeatur aut compescatur.

IEIVNIS inanis & cibo atque potu vacuus ventriculus facilè æstuat, sitis vrget, saliua salsuginem contrahit (futura scorpionum morsibus medela) fœtet anima, soboles putredinis, grauioris indices insultus epileptici, vultus viuidum suum colorem deponit, caput dolitat, arteriæ in temporibus distenduntur, oculis deficit suus splendor, os amarescit, nausea oritur, vomitus, καρδιωγμὸς, σκοτόδινος, biliosum lotium profluit, in iram non mediocris propensio. Inedia solo temporis interuallo non æstimanda, sed insuper anni tempus, regionem, naturam cuiusque, ætatem, consuetudinem, & vitæ genus perpendere conuenit. Æstas inediæ est impatiens, vt & Hyems, ieiuniis aptior verna tempestas, Autumnus minùs; Regionum par ratio. Quæ pituitosis & obæsis salubris est ἀσιτία, eadem biliosis & gracilibus noxia, quam pueris, & præsertim acrioris & viuidioris ingenij, vel τοῖς αὐξανομένοις, aut summam pulsantibus & occiduam senectam prudens nemo consulet aut iniunget: vt nec λιμαγχχοῖσι laborem, nisi quibus λεπτυνθῆναι expedit. Stata victus ratio vix impunè violatur. Desides & in otio degentes à cibis crebrò sibi temperent.

VT cibus famem explet, sic sitim potus restinguit; inter potus species aquæ tanta vis est refrigerandi & humectandi, vt nulli alteri æqualis, ne dum maior; frigore suo calorem exuperantem obtundit, diffusum reuocat, spirituum dissipationem impedit, concitatos feruescentium humorum motus & impetus compescit, halitus & vapores sistit, ventriculo ingesta id robur addit, quo voracis nomen ipsa mereatur: vi autem humectâ, quâ pollet, humidæ substantiæ nostræ effluuium (quod reparare non potest) & partium ariditatem, quas irrigat, prohibet aut retardat. Annon ideo salubris est hecticis exiguus in aqua frigida panis? nulla verò corporis nostri particula illius beneficio diutiùs carere potest, vt nec alimento, cuius ipsa est vehiculum.

VT deducendis atque distribuendis cibis apta foret & accommodata aqua, tenuis esse debuit; atque vt saluberrima existeret, sincera, limpida & ἄποιος. Tenuitatem & leuitatem prodit facilis caloris admissio, & ad pristinum frigus reditus, necnon citissima olerum & leguminum elixatio coctioque. Talem nobis suppeditant nitidissimi & patentes fontium ad exortum solis præsertim æstiuum per arenosa loca decurrentium aluei: flumina non pigro, sed celeri cursu adlabentia, nullis sordibus inquinata: cisternæ vberiori stratæ arenâ, & imprimis, quæ æstiuam pluuiam ab æthere Ioue tonante demissam, & tubis fictilibus deductam asseruant. E puteis, lacubus, stagnis, paludibus vix nisi indomita, limosa, aut graueolens manat, cuius vitium coctio vtcunque emendat, non verò metallicæ, viscerum nutritiorum æstui refrænando parum aut vix idoneæ.

INANIS ventriculus pabuli & humoris indigus otiari non potest: alimenti & potionis inopiâ humores vndique ad se prolicit, variorum morborum futuros authores, nisi vomitu maturè excludantur, quos si sequiores non habuerit, incalescit, ardorisque sui notas exhibet; eam solidis cibis ingestis si demulcere tentas, famelicus venter ore nondum planè confectos ad se rapiet, sic ereptos vix subigere poterit, vicinarum partium lacessitus iniuriis, aut nonnisi diuturniore morâ, quâ interim viscerum feruor inualescet, chylusque ex his genitus tandem detrusus, vel minùs laudabilis, vel auidiùs prolectatus, infarctus plurimos in mesenterij & hepatis angustis admodùm ductibus excitabit. Liquidorum alimentorum vsu calor quidem mitigatur, sed vel superstitis illuuiei occursu corrumpuntur, vel saltem in acriorem succum facessunt. Famem θώρηξις celeriter sedat, sed διψώδης est. Aquæ haustus ieiuni ventriculi æstum temperat, nec eius tonum exoluit, sitim placat, humorum, si qui subsint, putredinem coërcet, diù non cunctatur, fœces ficciori aluo coercitas diluit & quotidianæ egestioni comparat, viscera citò permeat, partesque omnes à celeri marcore vindicat: sic vt propomatis & propotismi vices obire debeat.

Ergo ieiunis aquæ potus.

Proponebat Lutetiæ PETRVS DE MERCENNE Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XLIV.